JESU JUVA!

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

DONATIONIBUS,

PERMISSU ET DECRETO
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI,

SUB PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI, CONSULTISS. EXCELLENTISS.

DN. CASPARIS ZIEGLERI,

J. U. D. ET PROF. PUBL. CURIÆ ELECT.
PROVINC. ET SCABINAT. ASSESS. GRAVISS. NEC NON
COLLEGII JURIDICI DECANI SPECTABILIS,
Patroni ſummi, Promotoris & Præceptoris ætatem colendi,

PRO LICENTIA

Summos in utroq; Jure honores & privilegia Doctoralia ritè capeſſendi,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Publicæ eruditorum diſqviſitioni ſubmittit

GEORGIUS JOACHIMUS Taucher OSSITIENS.

Ad diem Septembr. horis conſvetis.

WITTEBERGÆ
Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LVII.

In Nomine Jesú Christi.

Poſit. I.

QVirites antiqviores contra jus gentium (juxta qvod nihil tam ſanctum, qvàm ea, qvæ placuerunt, ſervare) pactis nudis, omnem vim ac energiam obligandi denegaſse JCtis antiquitatis ſtudioſis notum eſt: Hinc & de donando conventiones, niſi novum aliqvod veſtimentum ex jure civili ſumpſiſſent, inefficaces prorſus, & inutiles reliqverunt, donec Imp. Iuſtinianus, motus æqvitate naturali, conventionibus & promiſsionibus iſtis eam vim tribueret, ut donator ex pacto obligaretur ad tradendum, qvod tamen non in omnibus indiſtinctè permiſit, ne impetu immenſæ liberalitatis omnia bona effunderentur *l. 2. C. d. in offic. donat.* ſed frenum qvaſi qvoddam eis injecit, ita ut ultra qvingentos ſolidos abſq; autoritate Magiſtratus & inſinuatione non liceret donare. De donatione igitur tam inter vivos, qvàm mortis cauſa diſſertatiunculam inſtituere nunc volens, imprimis Deum Ter. Opt. Max. à qvo totius mundi elementa proceſserunt, & rerum diſpoſitio in orbem terrarum producta eſt, *pr. C. d. V. I. E.* obnixè invocans oro, ut cum cœleſti ſuo favore & paracleto Spiritu Sancto adeſse velit, qvo ad ejus honorem, & ſtudiorum emolumentum id feliciter adimplere poſſim.

Poſit. 2.

Donatio dicitur à dono, & eſt propriè cum quis ea mente dat ſimulq; tradit, ut res ſtatim accipientis fiat, nec unqvam ullo facto velit ad ſe reverti *l. 1. ff. de don.*

Poſit. 3.

Definitur communiter, quod ſit actus, quo quis donum in aliqvem confert.

Poſit. 4.

Dividitur in Simplicem & relatam. ſimplex donatio fit ſimpliciter propter meram liberalitatem *l. 1. ff. h. t. & in ll. ff. h. t. n. 3. Gedd. ad l. 18. ff. d. t.* Relata non fit ſimpliciter, ſed ſub cauſa & ob cauſam [illegible] *pr. ff. h.* Relata ſubdividitur in mortis cauſa, & non mortis cauſa donationem *Inſt. pr. h. t.*

Poſit. 5.

Mortis cauſa dicitur, quod in ea expreſsè fiat mentio mortis, alioqvin habetur pro donatione inter vivos *Schneid. h. t. l. 42 ſ. ult. ff. h. t.* Suſpicio verò & cogitatio mortis, eſt cauſa hujusmodi donationis, quæ etiam ſanum recteq; valentem movere poteſt, ut donet hoc modo quæ proinde cauſa ſemper exprimenda, nec aliàs erit donatio cauſa mortis, licet ab ægroto facta proponatur. *Covar. [illegible] Anton. Gomez. tom. 2. var. reſol. c. 4. n. 19. [illegible] Fachinæus lib. 3. contr. cap. 20.*

Poſit. 6.

Sunt autem tres ſpecies hujus donationis, una cum quis ſanus, & in bona valetudine poſitus, nullo q; præſentis periculi metu territus, ſola cogitatione mortalitatis donat, [illegible] *h. Gloſ. & Dd. in l. 34 ff. [illegible] Schneid. [illegible] cod.* Altera cum quis metu mortis aut præſentis periculi, vel etiam futuri, ita donat, ut ſtatim res fiat accipientis, quo caſu ſta-

tim

tim qvidem perfecta eſt donatio, ſed ſub conditione reſolvitur, ſi videlicet donator præſens periculum evadat. Tertia, cum qvis periculo motus non ſic donat, ut ſtatim faciat rem accipientis, ſed tunc demum, cum mors fuerit inſecuta; qvo caſu ſub conditione pendet donatio *l. 2. & l. 35. §. 4. ff. h. t.*

Poſit. 7.

Qværitur an donatio mortis cauſa & legatum inter ſe conveniant per omnia? Reſpondeo. Conveniunt qvidem qvoad effectum, vim & efficaciam *l. 15. l. 37. ff. h. t. l. ult. C. h. Cuj. lib. 20. obſ. cap. 6. Jul. Clar. §. donatio q. 5. n. 1.* differunt verò in multis *l. 38. ff. h. t. Schneid. h. t.*

Poſit. 8.

Cui permiſſum eſt teſtari; permittitur mortis cauſa donare, qvanqvam teſtamentum de facto non fecerit, cum facere tamen poſſit *l. 15. l. 25. ff. eod.* Filiusfamil. verò licet teſtamentum etiam permittente, & conſentiente patre, facere non poſſit, *pr. inſtitut. qvibus non eſt permiſſus facere teſtamentum l. 6. ff. eod. ubi Paulus d. Caſtr. n. 1. & ſeq. Dauth. de teſtamentis n. 149. Ver. Ampl. ſecundo Nicol. Reuſner. tract. de teſtamenti part. 2. c. 23. n. 18. & ſeq.* Cum conſenſu tamen Patris mortis cauſa donare non prohibetur. *l. 7. §. 4. l. 25. §. 1. ff. d. mort. cauſ. don. Mozz. tract. d. don. Schneid. ad tit. Inſt. de don. rubr. de mort. cauſ. don. n. 9. Weſ. in π. ff. de mort. cauſa don. n. 4. Dauth. de teſtam. n. 160. & 190.*

Poſit. 9.

Hinc qværitur, utrum filiusfamilias bona adventitia, in qvibus Pater uſum fructum non habet, mortis cauſa validè donare poſſit, citra conſenſum Patris? qvod videtur, qvoniam Dominus & arbiter eſt iſtorum bonorum, nec de iis diſponere, aut ſtatuere, aliqva lege prohibetur, qvin imò expreſsè

facultas ei data eſt, quo velit modo, bona iſta adminiſtrandi *Nov. 117. cap. 1. §. 1.* Si quidem perfectæ ætatis jam ſit; quid ni igitur de illis diſponendi per donationem mortis cauſa, permiſſum erit, citra patris conſenſum, qui in his tantum caſibus deſideratur, in quibus uſusfructus ad Patrem ſpectat *v. filiusfam. C. qui teſt. fac.* Nam diverſa eſt ratio teſtamenti, & donationis mortis cauſa *Perez. h. t. C. n. 15.*

Poſit. 10.

De minore quæritur, an ille mortis cauſa donare poſſit, non de eo quidem, qui caret curatore; nam ſic ut teſtatur & bona alienat, quid ni & mortis cauſa donet. Sed qui curatorem habet. Quem aliqui licet teſtari poſſe aſſerant, negant tamen mortis cauſa donare poſſe, ex ratione, quod in ſui productione ſequatur naturam contractuum, quos non init minor, ſaltem alienando ſine curatore, quem habet. Poteſt tamen contrarium videri verum, quia licet non contrahat, aut donet inter vivos alienando, ne ſe ſpoliet, hanc tamen donationem faciendo non ſe ſpoliat minor, cum non habeat effectum ante ejus mortem. Si videlicet ita donet ut tunc demum fiat accipientis, cum mors fuerit ſubſecuta *Fach. 9. contr. c. 21. Francisc. Caluſ ad l. ſi curatorem verb. hanc conſuetudinem n. 21. C. d. reſt. in integr. Rom. de don. cap. . n. 31. Harpp. ad §. 1. Inſt. de don. n. 43. Tiraq. in l. ſi unquam ſ verb. don. largitus n. 253. C. de rev. don. Zoeſ. in com. h. t. n. 14. Perez. C. ad h. t. n. 19. Magnuſ. Carpz. p. 3. C. 1. d. 21.*

Poſit. 11.

An mulier poſſit donare mortis cauſa marito & extraneo ſine conſenſu curatoris in territorio Sax. multi ſunt qui negant *Modeſt. Piſt. conſ. 1. n. 23. & 24 Vol. 1 B. in l. 1 ſ. d. mort. cauſ. don. n. 4. & in Addit. ad Schneid. pr. Inſt. de don. n. 19. L. a.* Rectius tamen concludit, *Rauchb. p. 1. q. 32.* Mulierem abſq; curatore validè mortis cauſa donare; quæ ſententia non ſolum obſervantia fori Saxonici approbata, ſed & ratione juris

ſatis

ſatis munita eſt. *Heig. ad pr. tit. Inſt. de don. n.36. Thom. q. 14. n.11. Nov. Auguſt. p.2. Conſt. 15. §.* gleicher geſtalt verſ. von ſich ſelbſten/von ihren Haab und Gütern. *Berlich. p.2. Concl. 17. n. 78. l.32. §. 8. ff. de don. inter vir. & Uxor. l.22. §. miles ff. de leg.2. Carpz. p.2. Conſt. 15. d.10.*

Poſit. 12.

In donatione mortis cauſa reqviritur ut donatarius ſit præſens. *l. 38. ff. d. don. mort. cauſ. Boer. deciſ. 353. n.3. Hartm. Piſt. q.2. n.2. lib.1 Gomez. l.2. var. reſ. cap. 4. n.16.* Et qvidem non ſufficiebat olim nuda præſentia donatarii, ſed inſuper à parte ejus reqvirebatur ſolennis ſtipulatio ad hoc ut actus in vim donationis mortis causa valeret. *Mozz. tract. d. don. mort. cauſ. rubr. diviſio donationis reſidet n.23.* Hodiè tamen etiam nudo pacto fieri poſſe non diffitemur. *Rauchb. q. 16. n. 16. Et n. ſeq. v. 2. Tiraq. in l.8 C. d. revoc. don. n.248. Gomez. tom. 1. var. reſol. c.4. n.2. & 16.*

Poſit. 13.

Non ineptè porrò hîc disqviritur, an donatio mortis cauſa fieri poſſit per procuratorem? Qværitur autem vel de donatario vel de donante. Si de illo, affirmanda eſt qvæſtio. Qvia enim donatio iſta non fit vèrbis, ſed conſenſu, ideoq; præſentiam præciſè non reqvirit, ut ſtipulatio, ſed abſenti fieri poteſt, modo ejus voluntas concurrat. Et hinc ut conſiſtat mortis cauſa donatio abſenti facta, debet ea per nuncium ad hoc deſtinatum fieri, aut per epiſtolam, modo ut conſtet de donatarii conſenſu. Si de donante, qvanqvam & tum qvoq; aliqvi affirment, inter qvos *Modeſt. Piſtor. p. 2. q. 55. & Berl. p.3. c.2. n.39.* Rectius tamen videntur ſentire illi, qvi negant, cum qvibus facit *Magn. Dn. Carpz. p.3. c.1. d.36.*

Poſit. 14.

Item dubitatur, cùm de jure Saxon. certæ ſolennitates in donatione reqvirantur, præſertim ſi fiat de bonis immobilibus

ſolibus, quia tunc debet fieri in loco judicii coram judice, ſub quo illa bona ſita ſunt; ac hujusmodi ſolennitates etiam in donatione mortis cauſa neceſſariæ ſint. Et breviter concluditur quod non *Schneid. h. t. n. 26.*

Poſit. 15.

Cæterùm neceſſarium eſt, ut quinque teſtes adhibeantur in donatione mortis cauſa *l. ult. C. h. t.* Reichs Abſchied; *ſub Imp. Maxim. I. Coloniæ anno 1512. t.* von Teſtamenten § und ſollen die *Notarien* Auffmerckung haben *[illegible] & verſ. ſeq. W. h. t.* Nec de neceſſitate eſt in donatione mortis cauſa, ut teſtes ſint rogati, ſed ſufficit, ſi caſu fortuito advenerint. *Nicol. Burr. decis. 39 n. 5.* In hac donatione etiam mulieres poſſunt eſſe teſtes *Carpz. p. 3 conſt. [illegible] d. 10.* Quod ſi autem quatuor ſaltem teſtes adfuerint und cum Notario, tum hic vicem quinti teſtis ſupplet Reichs Abſchied zu Cöln/ *d. ann.* von *Notarien* § zu dem der *Notarien* auch geſchicht wird; *Gerd. Theſ. tom. 2. Pract. concl. L. D. concl. 669. n. 4.* tempore verò poſtſie donatio cauſa mortis coram duobus teſtibus facta, jure ſubſiſtit *Berlich. p. 3. c. 3. n. 36.* quod tamen in Electoratu Saxon. ad donationem omnium bonorum extendendam non eſt *Con[illegible]* § Wie wohl auch verſ. anders geſtalt: *Carpz. p. 3. [illegible] 34.*

Poſit. 16.

Donatio inter vivos appellatur, quod vivente donatore ſortiatur effectum. Et aliquando fit ob cauſam, ut remunerationis donatoris aliquando nullam aliam ob cauſam, quam ut munificentiam & liberalitatem exerceat donans *l. 1. pr. ff. h. t.* fit ex utriusq; donantis, & donatarii conſenſu perficitur, *Schneid. h. t. n. 4.*

Poſit. 17.

In donatione inter vivos de jur. Saxon. requiritur [illegible] ut donans non ſit conſtitutus in adverſa valetudine, [illegible] ut dream-

Google

decumbat. *art. 65.* Weichbild. *ubi Gloſ.* daß kein Mann oder Weib auff ihrem Siegbette ohne der Erben Erlaub/ihres Guts etwas vergeben über fünff Schilling werth und nach Landr. ſo viel er über das Bettbret wegreichen mag. *Secund. Gloſſ. art. 52. lib. 1.* De jur. civili, & hodiè de jure Saxon. conſtat tam firmos & ægrotos liberè donare poſſe. Modo decumbens deliberato animo, vel ſua ſponte donet, non ad interpellationem alterius. Nec infirmitas tanta ſit per qvam memoria vacillet. *Bald. in l. hac conſultiſſima n. 8. C. q. teſtam. fac. poſ.*

Poſit. 18.

Secundò reqviritur de jur. Saxon. ut donatio rerum immobilium inter vivos valeat, cujuscunq; valoris ſunt, ſive magni, ſive parvi, ut fiat apud acta judicii & coram eo judice, ſub qvo bona ſita ſunt. Qvanqvam enim de jure civili donationes rerum immobilium poſſunt fieri extra judicium, dummodò ſummam 500. aureorum non excedant, & factæ in uno loco, etiam ubi non ſunt ſitæ res, valent, & extendunt ſuum effectum ad bona ubicunq; locorum ſita *l. 30. l. 27. in f. C. h.* ſecus tamen de jure Saxon. *per text. in d. art. 52. in pr. junct. Gloſſ.* in verſ. in allen Ständen & Weichb. *art. 61.* ibi denn es mag niemand ſein eigen i. e. bona immobilia, ubergeben denn in gehegten gedinge/ Weichb. aber fahrende Haabe mag man nach Sächſiſchen Rechten auch auſſer Gerichte geben qvod intellige, niſi donatio excedat 500. aureos *Schneid. h. t. Col. p. 1. deciſ. 10. n. 6. Zob. diff. 28. n. 8.*

Poſit. 19.

Tertiò reqviritur de Jure Sax. ad donationem rerum immobilium, conſenſus hæredum donantis *art. 52.* ohne der Erben laube; & licet textus indiſtinctè loqvatur de omnibus bonis; tamen reſtringitur ad bona immobilia, qvæ fuerint progenitorum ipſius donantis von Stamgütern die einen auffwerts o-

der

der [illegible] in [illegible] Erblichen [illegible] [illegible]. Ita ergò locum non habet in bonis, quæ inde [illegible] dotem in comparata, vel empta ſunt. Hujusmodi enim res etiam ſine conſenſu heredum donari poſſunt *art. 10.* Weichb. de jure verò civili non diſtingvitur *l. 19 C. h. t.* Prædictæ enim ſolennitates juris Saxon. reſtringuntur ad donationem inter vivos ſimplicem, quæ ex mera liberalitate & munificentia proficiſcitur, & propriè donatio dicitur *l. 1. pr. ff. h.*

Poſit. 10.

Inter vivos donare poſſunt omnes quicunq; habent liberam facultatem adminiſtrandi res ſuas *arg. l. 11 C. [illegible]*, & qui nominatim à lege non prohibentur *arg. l. 12. pr. ff. de jud.*

Poſit. 11.

Materia ſunt omnes res, quæ in commercium cadunt & quæ alienari & donari poſſunt, tam corporales [illegible] incorporales *l. [illegible] l. 25 ff. h. t.* Hinc oritur [illegible], an donatio omnium bonorum indefinitè facta, etiam comprehendat bona futura? Negatur, non quia auferatur libera teſtandi facultas, ſed quia donatio ſtricti juris eſt *Gloſ. in l. [illegible] C. quæ res pign. obl. Covar. 2. Var. reſol. 12. n. 4. Clar. § donatio q. 19. verſ. eadem; ratione [illegible] 2. reſ. 2. n. 4. [illegible] cap. 10. n. 145.* etiam reſervatione facta. *Theſaur. deciſ. 190. n. 8.* Donatio verò mortis cauſa omnium bonorum, de jure civili & de jure communi Saxon; aliter non valet, niſi deducta [illegible] Falcidia *l. 5. l. pen. C. ad leg. Falc. l. 2. in f. C. d. mort. cauſ. don. l. 27. § [illegible] & [illegible] ff. de leg. 2. l. 1. §. Si quis [illegible] mortis cauſa ff. [illegible] leg. [illegible] in cod. lib. [illegible] tit. 57. def. 8. Harpp. ad §. mort. cauſ. [illegible] J. de don. [illegible] 15 [illegible] n. 63. [illegible] obſ. 6 & lib. 10. obſ. 28.* In donationibus quoq; cauſa mortis tacitus detractio Falcidiæ locum habet, etiamſi in teſtamento

mento confirmatæ haud fuerint *l. 32. §. 1. ff. d. don. int. virum & uxor.* perinde ac in cœteris mortis cauſa donationibus fieri ſolet. *l. 5. C. ad l. falcid. l. 2. C. de mort. cauſ don. Modeſt. Piſt. p. 1. q. 48. n. 67. W. in Π. ff. ad L. Falcid. n. 6.* Idemq; dicendum de donationibꝰ conjugum inter vivos factis, ſed morte eorum confirmatis, qvia ejusmodi donationes vim habent fidei commiſſi, in qvibus extra dubium locum habet detractio Falcidiæ *L. 12. C. ad L. Falcid. Schneid §. ult. n. 16. Inſt. ad L. Falcid.* In donationibus conjugum remuneratoriis inter vivos ceſſat hæc diſputatio, qvia ejusmodi donationes inter conjuges ſtatim valent, nec opus eſt, ut in vim donationis mortis cauſa ſuſtineantur & morte confirmentur. *Mynſ. cent. 2. obſ. 33. n. 6. Geil. l. 2. obſ. 40. n. 7.* In Electoratu Saxon. ſimpliciter ceſſat in donationibus omnium bonorum mortis cauſa detractio Falcidia *Conſt. 1. p 3.* §. damit nun darinnen verſ. ſo ordnen *in verb. fin.* daß alſo die Falcidia in unſern Landen in dieſen und andern donationen, ſo auff den Todesfall geſchehen nicht ſtatt haben ſoll/ *Matth. Col. p. 1. d. 12. n. 71. Berl. p. 3. concl. 1. n. 46.* & hæc conſtitutio Saxon. etiam locum habet in pactis dotalibus, ſi conjuges ſibi invicem in ejusmodi pactis omnia bona in caſum mortis donaverint *d. Nov. Elect.* Vocamus autem omnium bonorum donationem, qvæ bona præſentia ac futura, mobilia ac immobilia, nomina, jura & actiones, expreſſis verbis ſpecialiter comprehendit *l. 7. §. 4. ff. de pecul. l. 15. §. 2. ff. d. re. jud. Geil. lib. 2. obſ. 11. n. 9.* Hoc ſpecialiter introductum eſt à jure Saxon., qvod donatio omnium bonorum non valeat, niſi judicialiter facta fuerit, ideoq; de neceſſitate reqviritur, ut apud acta inſinuetur *Conſt. 1. p. 3.* §. Wir ordnen auch darneben/ *Heig. q. 17. n. 25. & ſeq. p. 2.*

Poſit. 22.

Ante contractas nuptias permiſſa eſt inter Sponſum & Sponſam donatio, etiam ſimplex & irrevocabilis: Poſt contractas permittitur inter ipſos conjuges donatio propter nu-

 ptias,

ptias, quæ non eſt pura donatio, ſed ob cauſam, & cauſa ſi- nita revocatur. Omnis enim ſimplex donatio inter conjuges prohibita eſt, ne mutuo amore ſe invicem ſpolient, ne concordia maritalis pretio emi videatur *l. 1. & 3. & l. 2. ff. d. don. inter vir. & uxor.* Jure Saxon. idem ſtatutum eſt. *Landr. l. 1. art. 31.* §. Darumb mag kein Weib / *Col. decif. 12. n. 22. & ſeqq.*

Fallit tamen I. ſi donator non fiat pauperior, & donatarius locupletior *l. 25. ff. d. don. int. vir. & ux.* II. in donatione mortis cauſa *l. 9. §. 3. ff. h. t.* III. in donatione reciproca & remuneratoria *l. 7. §. 2. ff. h. t.* IV. ſi donatio inter conjuges facta juramento firmetur *Gail. l. 2. obſ. 42. n. 1. & ſeqq. per tot. Myſ. cent. 2. obſ. 30. n. 3. Schneid. ad §. alia d. t. n. 43. Card. Tuſc. tom. 2. pract. concl. 691 n. 34. & ſeq. & concl. 694 n. 1. & ſeq. arg. c. debitores X. de jurej. c. 28. X. eodem & c. 2. de pact. in 6. adde Berlich concl. 15 p. 2. & de donatione gerade Dn. Carpzov. p. 2. Conſtit. 15.*

Poſit. 23.

An mulier in donatione propter nuptias in bonis mariti habeat jus prælationis? N. [illegible] *Aug. p. 1. Conſtit. 28. poſt pr. verſ.* in den gegenwertigen Fällen: quam ſententiam etiam confirmavit [illegible]. *Saxon. Johannes Georgius glorioſiſſimæ memoriæ in* Proceß Ordn. *c.* von denen Gläubigern *45. Col. 1. verſ.* ſo viel denn das gegenwertige Fälle. Jure civili etiam idem procedit *l. 12. §. 1. C. qui potior. in pignore habeantur.* Quod tamen ita accipiendum eſt, ſi mulier ad donationem propter nuptias agit, ut eam lucretur; ſecus eſt, ſi ad donationem propter nuptias agit, tanquam ſibi ſpecialiter pro dote obligatam, quia tunc non ad lucrum captandum, ſed potiùs ad damnum vitandum & dotem ſalvam retinendam agit, & ideò non ſolum hypothecam, ſed etiam jus prælationis in hâc donatione, uti & quantitatem dotis habet quippe quæ tùm pro dote potiùs, quam pro donatione propter nuptias agere videtur *Schneid. ad §. 29. Inſtit. de act. n. 61.* Alio autem

autem qvoad hanc donationem mulier de jure civili ponitur inter hypothecarios,ita, ut ſi qvidam ſunt creditores anteriores, qvi hypothecam vel expresſam, vel tacitam habent, illi in donatione propter nuptias mulieri præferantur, ſi verò habent hypothecam tacitam, vel expresſam poſteriorem, illis mulier præferatur *l. 12. §. 2. C. qvi potior. in pign.*

Poſit. 24.

Donatio geradæ inter vivos ſubſiſtit & ſpecialiter à Jure Saxon. eſt introducta *Hartm. Piſt. lib. 1. qv. 31. n. 37. & q. 32. n. 2. Goldb. in ſuo tract. de gerada. Conſtitut. Elect. p. 2. conſtit. 14. Si modo fiat cum conſenſu Curatoris & in ipſius præſentiâ d. C. Elect.* Ultra conſenſum curatoris, reqviritur etiam conſenſus mariti. *Goldb. d. l. n. 106. Berlich. p. 2. concl. 16. n. 28. art. 31. & 45. l. 1.* Landr. *ubi Gloſſ. Weſenb. in par. ff. d. don. n. 4.*

Poſit. 25.

Solæ ideò Mulieres donare posſunt geradam eæq; omnes qvæ non prohibentur, ſive ſint conjugatæ, ſive ſolutæ, virgines, aut viduæ, dum tamen juſtæ ſint ætatis. Nec refert, an in bonâ ſint valetudine conſtitutæ, nec ne, qvia & ægroti inter vivos donare qveunt *l. 42. §. 1. ff. d mort. cauſ. don.* qvidni ergò in donatione geradæ idem obtineret? *Goldb. d. Gerad. c. 7. membr. 2. n. 16.*

Poſit. 26.

Donatio geradæ eſt vel judicialis vel extra judicialis facta ſc. in præſentia duorum vel trium teſtium vel etiam Notarii & teſtium *Gloſſ. lat. in art. 5.* Landr. *lib. 1. tit. 6. & ibid. Gloſſ. germ.* verſ. in allen Stádten auch magſtu ſolche fahrende Haabe außerhalb Gerichts vergeben. *Gold. d. gerada cap. 7. memb. 3. n. 99.* Et ſi verò Notarii præſentia haud præ-

thenticum ulteriore non indiget probatione, ſed fidem meretur perpetuam *Ant. Fab. in C. lib. 6. tit. 5. def. 10. n. 7. Jaſon. in l. Si duo patroni §. idem Julianus n. 25. ff. de jurej.* qvia Notarii ſunt publicæ perſonæ, habentes jurisdictionem & notionem in actibus voluntariis judicesq; vocantur Chartularii, *Gloſſ. in l. 1. verb. judicis ff. de judiciis Gail. 1. obſ. 1. n. 13.* qvare fides habenda eorum inſtrumentis ex qvibus triplex oritur præſumtio: una, qvoad materiam, qvod ſint, altera qvoad formam, qvod ſint ſolemnia, tertia qvoad finem, qvod omnia, qvæ ſunt inſcripta, ita ſint geſta, prout in veniuntur à Notario conſignata *Weſ. part. 3. & conſ. 130. n. 63. & p. 4. conſ. 183. n. 17.* Plura qvi diſcupit, adeat *Dn. Carpzovium diſp. ſingul. d. donat. geradæ, imprimis n. 35.*

Poſit. 27.

Licet propriè loqvendo remuneratoria ſive antidoralis donatio differat à donatione reciprocâ ſeu mutua vel viciſſitudinaria; illa ſiqvidem præterita ſ. præcedentia tantum merita, hæc autem dona præſentia reſpicit *Goldb. d. gerada c. 7. membr. 4. n 45. Bocer. d. don. cap. 12. n. 5. & cap. 13. n. 6.* Attamen indifferenter vulgò uſurpari, ac una pro alterâ communi loqvendi uſu ſolet nominari. Certi autem juris eſt, qvod uxor remuneratoriè ſive reciprocè geradam donare valeat *conſtit. 13. p. 2.* In donatione reciproca reqviritur, ut fiat in continenti, ſive uno eodemq; contexu *Gloſſ. in l. 7. §. ſi vir & uxor ff. h. t. Gail. lib. 2. obſ. 40. n. 7.* Nec valet donatio antidoralis, ſi æſtimatio ejus donum reciprocum ſuperet. Magna tamen ſolummodo inæqvalitas vitiat actum reciprocæ donationis, non modicus exceſſus *Bocer. cap. 13. num. 24.*

Poſit.

Poſit. 28.

Cæterùm in donatione geradæ judiciali reqviritur, ſi res ipſæ non ſint ad manus, ut unà cum clavibus deſignatio ſeu ſpecificatio rerum geradicarum offeratur. *Conſt. 14 p. 2.* Sed qvæ tamen adeò exacta eſſe neceſſariò non debet, ut res univerſas & ſingulas enumeret. In extrajudiciali verò ſimiliter reqviritur traditio clavium, ſed in conſpectu arcarum. Reſervato tamen ſibi à donatrice uſu fructu geradæ, vel res ipſas, vel ſaltem claves reſtitui jubet. *Seren. Elect. Sax. Conſt. Elect. p. 2. Conſt. 14.*

Poſit. 29.

De donatione mortis cauſa ſi excedat ſummam 500. ſolidorum, qværitur, an neceſſaria ſit inſinuatio apud acta judicii. Et licet *Bart. in l. 25. C. de don.* ibi ex textu colligat, donationem mortis cauſa debere inſinuari; Tamen in *l. f. C. eod. inqvit, per l. d. f. eſſe correctam d. l. donatio 25.* Eſtq; veritas, qvod donatio cauſa mortis poteſt fieri abſq; inſinuatione cujuscunq; ſit ſummæ, dummodo fiat in præſentia qvinq; teſtium, ut non ſit diſſimilis ultimæ voluntati ita eſt *tex. expr. in d. l. fin. Hieronymus Schurfius in conſ. 6. cent. 1.* inqvit, donationem cauſa mortis inqva intervenerunt qvinq; teſtes, valere abſq; inſinuatione, licet excedat ſummam 500. aureorum *d. l. f.* ſed ſi non intervenerunt qvinq; teſtes, tunc reqviri inſinuationem adhoc ut valeat, *per d. l. donatio 25. C. d. donat.* Hodie ubi jus Saxon. viget plerumq; donationes mortis cauſa, apud acta inſinuantur, & ſolennitates juris adhibentur *Schneid. d. don. §. 1. n. 16.*

Poſit. 30.

Sed an donatio remuneratoria inſinuatione opus habet? pleriq; negant, qvatenus nempè merita non excedat, qvia

quia externis non poſſet videri temerè facta, etiamſi exce-da ſummam 500. aureorum, eò quod cauſa [illegible], ob quam, facta. Unde Dd. [illegible] volunt donationem factam ob cauſam non indigere inſinuatione; quia ceſſet præſumtio fraudis, tum etiam, quia donatio ſit reciproca, propter præcedentem donationem [illegible] *l. 11. & de* [illegible] *§. d. per har. Menſ. obſ. 75. n. 10.* Ubi requiritur, ut in ſpecie cauſa propter quam exprimatur. Alii diſtinguunt, an nempe donans ſit obligatus jure actionis, vel officio judicis, & tunc non indigere, ſecus, ſi non obligatus. Verum hanc diſtinctionem quia fundata ſatis non eſt haud facile admittendam arbitror. His igitur rejectis dicimus ſemper egere inſinuatione, quia in *l. 27. C. de donat. Imp.* Vult, quod ſtatutum ſuper donationibus inſinuandis univerſos tenere debeat, ergo & remuneratorias, cum generaliter loquatur, & nullibi reperiatur expreſsè excepta, patet hoc etiam ex *l. pen. §. cæt.* [illegible] *C. de donat.* eſtque contra finem inſinuationis. Nam inſinuatio requiritur ad evitandas fraudes, verum eas etiam in donatione remuneratoria excogitari, & adhiberi poſſe quis negat. In praxi tamen atque conſuetudine receptum eſſe, ut valeat abſque inſinuatione etiamſi ſummam illam exceſſerit, docet *Magn. Dn. Carpzov. part. 2. Juriſ-prudent. forenſ. conſt. 12. d. 13.*

Poſit. 31.

Item donatio ad pias cauſas ultra quingentos [illegible] ſine inſinuationem requirit *l. 14. § alias l. 35. §. cæterum* [illegible] *C. de don. l. 19. C. d. SS. Eccl.* licet enim magnus ſit favor piarum cauſarum & Eccleſiarum. Attamen, Eccleſia ceu cultrix juſtitiæ non patitur aliquid contra juſtitiam fieri vel in ſe vel in alterum *Gomez. var. reſol. 4. num. 10.* Specialiter autem ſunt exceptæ 1. donatio facta in redemptionem captivorum, ubi duplex cauſa concurrit, nempè miſerationis ac pietatis.

b in

Google

2. in refectionem domus incendio corruptæ. Nam ex refectione reſultat decus urbium, *leg. ſi qvis C. d. priv. ædif.* hinc eſt qvod qvi credit pecuniam ad refectionem, privilegium præ cæteris habeat *leg 5. ff. qvi pot. in pign.* Et ſi qvæ ſunt aliæ.

Poſit. 32.

Donatio verò propter nuptias & cauſa dotis, neceſſitati inſinuationis jure Novellarum aliqvando non ſuccumbebat *Nov. 119. c. 1.* qvod tamen temperatum deinceps per *Nov. 127. c. 2.* Hodie in qvibusdam locis non fiunt tales donationes, ſed earum loco Vir tenetur ſe obligare, & ſua bona pro dote conſervanda & reſtituenda *Mozz. tract. d. contr. cap. d. diviſ. donat.* Sic in Hiſpania hæ donationes abolitæ ſunt, in earumq; loco arrhæ ſponſalitiæ ſucceſſerunt, tradente id *Alv. Valaſc. Rer. jud. conſult. 2. n 13.*

Poſit. 33.

Donatio excedens 500. ſolidos & non inſinuata, an in ſolidum vitietur? disqviritur, ſunt qvi affirmant. Sed nos negativam opinionem amplectimur, & in ſuperfluo tantùm vitiari dicimus *per leg. 34. leg. 36. §. 3. C. de donat. Nov. 162. c. 1.* Reliqvam verò qvantitatem, qvæ intra legis terminos conſtituta eſt, in ſuo robore perdurare qvaſi nullo penitùs alio adjecto, ſed hoc pro non ſcripto vel non intellecto eſſe credatur. *Carpzov. p. 2. Conſtitut. 12. d. 17. leg. 35. §. 3. in f. C. de donat. leg. 21. §. 1. ff. eod. Harppr. ad §. 2. inſtit. de donat. num. 148. Schneid. num. 39.*

Poſit. 34.

Donatarius univerſorum bonorum conveniri poteſt à creditoribus, non ſolùm hypothecariis qui perſonalem actionem ſemper in rem habent, adverſus quoscunq; poſſeſſores *l. 16. §. 3. ff. de pign. l. 15. l. 18. C. eod. tit. l. 6. & l. 1. C. ſi alien. res pign. dat. ſit.* Sed etiam Chirographariis actione revocatoriâ *Inſtit. d. act. §. 6.* Si in horum fraudem donatio facta fuerit, *leg. 10. §. 1. ff. quæ in fraud. cred.* Licet ipſemet donatarius fraudis particeps non ſit *l. 6. §. 11. l. 10. in pr. ff. quæ in fraud. Cred. Schneid. in §. item ſi quis in fraudem n. 44. & 45. Weſ. in par. ff. quæ in fraud. Cred. num. 6.* Neutiqvam tamen condemnari debet donatarius, antequam fraus donatoris fuerit probata à creditoribus, quæ ſanè, quia in animo conſiſtit directè probari non poteſt: ſed admittitur hoc caſu probatio per conjecturas & indicia *l. 6. C. d. dolo.*

Poſit. 35.

Donatio ob ingratitudinem nonniſi ex cauſis in *l. ult. C. d. revocand. donat.* expreſſis, revocatur, aliàs revocatur etiam ex ſupervenientia liberorum *leg. ſi unquam C. de revocand. donat. Ant. Fab. in C. lib. 8. tit. 36. def. 9. n.* [illegible] *Carpz. p. 2. Conſtit. 12. d. 38.* etiam eorum qui per [illegible] ſequens matrimonium legitimati ſunt. *Perez in C. de revocand. donat. Zoeſ. in comm. ff. de donat. ſecus in donatione remuneratoria Schneid. in § ſecundum n. 1. Inſtit. d. donat. Jaſon* [illegible] *conſ. 154. n. 5. in f.*

Poſit. 36.

Porrò ſi donatur pactus ſit expreſſè, quod etiamſi donatarius ſit ingratus, non revocare velit donationem, poterit

ſerit nihilominus eam revocare, qvia tale pactum & renunciatio, juris revocandi donationes, non valent, eò qvod inducant donatarium ad delinqvendum; qvo pertinet *leg. 27. §. 3. & 4. ff. d pact.* Ubi pacta qvæ turpem cauſam continent, & contra bonos mores ſunt, non ſunt ſervanda *Gomez. tom 2. c. 4. num. 14.* Et imò putamus, ſi donatio ſolùm juramento ſit confirmata, neq; ſit expresſum, eam ex ingratitudine non revocari debere, revocari nihilominus poſſe. Qvoniam habet eam tacitam conditionem, niſi donatarius ſit ingratus: & juramenti appoſitio non excludit conditiones, qvas promisſio, aut actus, ſuper qvem cadit, habet ex ſe, aut ex juris diſpoſitione. At verò ſi donans expresſerit ſe propter ingratitudinem non revocaturum donationem, idq; juramento confirmet, tunc ſecus eſt.

Poſit. 37.

Sed an & fructus interea percepti revocentur? Verius eſt non revocari; ex ratione, qvòd id tantùm revertatur, qvod donatum eſt, & ex dominio donantis exivit. Fructus autem medio tempore percepti nunqvam fuerunt in dominio donantis ut dici neqveant reverti *leg. 9. §. 1. ff. de donat.*

Poſit. 38.

An hæredi ſit licentia revocandi donationem? Videtur; qvod enim licuit defuncto, cur non liceat hæredi, qvi perſonam ejus repræſentat. Verum contra ſe res habet, hæredem ſcil. non poſſe revocare, non tantùm in caſu, qvo ſcivit donator ingratitudinem à donatario commisſam, qvia videtur eam remittere, qvi ſciens disſimulat, ſed ne qvidem in caſu, qvo ignoravit. *l. 1. & 7. & ult. C. de revocand. donat.* Facit etiam, qvia hæc revocatio eſt actus vin-

diſtr, qui heredi non eſt permiſſum. *Inſtit. d. pup. & ſtup. alt. §. non ſolum.*

Poſit. 39.

Effectus donationis hic eſt, quod per traditionem rei donatæ dominium ejus donatarium transferatur *l. 6. l. 2. l. 25. ff. d. donat.* quod ſi illa ab hac abſit, datur actio ex ſtipulatu, ſi ſtipulatio interceſſerit, vel ex pacto legitimo *l. 20. C. de pactis l. 10. C. d. fid. inſtrum.* Hodie enim perficiuntur donationes exemplo venditionum, ſtatim atq; convenit, pœnitentia excluſa, *l. ſ. C. d. uſu cap. pro don. l. 5. C. d. rerum don.* habentq; in ſe neceſſitatem traditionis et inq; datur actio, quæ condictio ex lege appellatur, quoniam competit ex nova conſtitutione *l. ff. § ſ. C. h. t.* Interdum etiam rei vindicatio, inſtrumentis ſc. res donata traditur *l. 1. C. d. donat.* ſciendum tamen eſt, donatorem non teneri de evictione, niſi quatenus dolo malo fecit, ne videlicet liberalitas ſua ei ſit damnoſa *l. 18. §. fin. ff. de donat. Ellhem de jure Saxon. art. 4. lib. 3. vide Gloſſ. lat. inſ. l. 1. art. 32.* Landr.

DEO SIT LAUS HONOR ET GLORIA.

Digitized by Google

SIc ſudaſſe decet, ſic Te merſiſſe ſub undas
Palladis atq; Fori, qvondam TAUCHERE
juvabit.
Tempora Clara geris, dum Tu ſatiate ſub umbris
Blandiloqvæ Themidos, felicia DONA reportas.

SAMUEL Ritter / Halâ Saxo, J. U. D.
Digeſti novi Profeſſor Publicus, Curiæ
Electoralis Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ Aſſeſſor, h. t. Academiæ
Rector.

DUm donare doces alios, tibi munera confert
Hinc Cytherea, illinc gens pia Caſtalidum.

Fac.
CASPAR ZIEGLERUS, D. P. P.
& h. t. Decanus.

QVid ſtudium, qvid cura ferat, qvid nocte dieq;
Volvere ſcripta Sophûm, præſens hoc docta probabit
Pagina TAUCHERI, cui *ſummos juris honores*
Iam dabit alma Themis. Nos nunc gratamur: ut usq;
Altius emergas ſtudiis TAUCHERE, precamur.

In gratiam præſtantiſſimi Dn. Candidati Convictoris & amici perqvam dilecti
F.
Gottfried Suevus, D.

STrenuus ut miles armis fert læta Trophæa,
Sic cultor Phœbi ſolers fert digna brabea:
En, TAUCHERE, Tibi (quoniam artibus invigilaſti
Sedulus) hocce die prodit fructusq; decusq;
Quem ſummus Titulum, confert Tibi quem Witeberga
Gratulor, & ſupplex imploro Numina Sancta,
Quos quærit fines poſſit contingere felix.

Gratulab. apponebat
Michael Ledererus, J. U. D.
Facult. Jurid. Aſſeſſor.

Clariſſimo juxta ac Literatiſſimo Domino

GEORGIO JOACHIMO TAUCHERO,
J. U. Candidato longè digniſſimo,
Amico ſuo plurimùm honorando.

INvenit emptorem proba merx ultrò: quid opus ſit
Suſpenſâ huic hederâ? Virtus probitate coruſcans
Attrahit & mentem dextrè ſtudiumq; faventis.
Vicit amor quoq; Virtutis, quo carmine mactem
Bartolus & Baldus TE quem genuere periti,
Perreptare forum cum cordi Codicis amplum.
Eſt verum; cupiat quod Regi proximus eſſe,
Ac alius clarus præclaras ire per urbes,
Gloria cui ſimplex miſerum ſic pectus aduſſit

Æternis

Æternis famæ monumentis inſita creſcat
Laus Tua, qvam virtus animarunt ingeniumq;,
Hinc labor & Themidos Tibi tradet rubra brabeia.

Honoris & amicitiæ causâ
apponebat

Chriſtianus Ledererus.

SEmita VIRTVTIS templum monſtravit HONORIS
Mi TAVCHERE Tibi, qvod penetrare licet.
Scilicet ingentes Virtus promittit honores,
Qvorum præcipuos LEVCORIS alma ſerit.
Rara per occultos Te duxit ſemita calles,
Vt porrò ducat verſibus hiſce precor.

Dieterich Coch, Mecklenburg.

H*Actenus immerſti Themidos feliciter undis,*
Ac in iis viſus ſtrenuus usq; Vir es.
Emerges: *qvia* Dona *tibi veneranda labore,*
Pro tanto ſpondet non peritura Themis.
Hac inſiſte viâ, TAVCHERE; qvid amplius addam?
Plurima nitenti Lipſia Dona *dabit.*

auguratur
Chriſtof Ritter/ Hall-Saxo.

Infimæ

INfima plebs imo verſari in pulvere gaudet
Atq; humili vitam ſimplicitate beat.
Ardua ſed contra ſcandit mens ardua ad aſtra
Vultq; animum ſuperis conſociare Du[illegible]
Sicqvoq; tu ſacræ Themidos prætoriis Alumne
Summa tibi, ſpernens inferiora, petis.
Atq; hinc pro meritis offert jam ſerta D[illegible]e
Et ſummos magno tradit honore gradus
Gratulor huic ſpartæ, blandisq; ex æthere votis
Oro Deum ut patriæ ſis decus atq; ſalus.

Hoc ex animo ſcribebat
Julius Erneſtus Schrödter/ Danneb.

PRæmia nunc portat, famam, nomenq; decusq;,
Qui muſas alacri & Pallada mente colit.
Ergò te meritum meriti comitantur honores,
Tanti ſudoris præmia juſta tui.
Mi TAUCHERE *tibi tantos nunc grator honores,*
Et precor ex animo proſpera cuncta tibi.
Proſpera cuncta tibi precor, & creſcentibus annis
Creſcat honor, Pylii ſecula vive, vale.

Dignis honor[illegible] gratul[illegible] ſcr[illegible]
Joſephus Winckler / *Altenburgo-Miſn.*